

**Asselin, Jean-Baptiste-Charles -
candidat / Nollan, Jean-Jacques -
président. - An in nullâ aëris temperie
sanitati fovendae magis conducatur
exercitium, quam in humidâ ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°149

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS


*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-nonâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.*

M. JOANNE-JACOBO NOLLAN, Mⁱ. PETRI-JOANNIS-
CLAUDII MAUDUYT DE LA VARENNE vices gerente,
Doctore Medico, Præsidente.

*An in nullâ aëris temperie sanitati fovendæ magis conducat exercitium, quam in
humidâ.*

I.

AER in lucem editis necessarium est vitæ pabulum. Si quis illius usu orbatur, angitur illicò, & ne paucis quidem momentis vitam fervare potest. Quin immò, nisi sæpiùs renovetur, ex ipso respirationis opere & insensibili corporis exhalatione tam depauperatur & inquinatur, ut ad vitam sufficere nedum valeat, immò noxius fiat aut lethalis; quod probatur exemplo animalium sub campanulâ vitreâ inclusorum. Hæc brevi pereunt, nisi ipsis cum aëre externo commercium restituatur. Multiplici viâ corpus nostrum ingreditur aër; asperâ arteriâ ad pulmonem tendit, œsophago deferitur ad ventriculum, & ad intimos usquè recessus penetrat. Sanguini cœterisque humoribus immiscetur, perfectumque affectat æquilibrium cum aëre corpus externè ambientii. Si hujus actio tantisper imminuitur vel augetur, indigena corporis aër statim sese explicat vel comprimitur, & sanguinem ad affectandum majus aut minus spatium compellit. Sic externa corpori incumbens atmosphæra, interni aëris liquoribus immixti vim elasticam pressione suâ moderatur & regit. Sic magis minusve compacti humores faciliùs aut difficiliùs sua vasa percurrunt. Igitur consideratio aëris inter ea quæ sanitati fovendæ conducunt non infimum locum sibi vindicat. Respiratio, transpiratio, cœteræque functiones & excretiones absquè illius concursu ritè se habere nequeunt. At in aëre externo variæ fiunt mutationes ex quibus diversi producuntur effectus pro variâ earum naturâ. Illæ sunt quæ in illius gravitate, elatere, calore, frigore, siccitate, humiditate sese produnt, vel in partibus magis aut minus heterogeneis è minerali, vegetali & animali regno depromptis, quibus foetus est & impregnatus aër. Verùm quinam sint harum-cœ mutationum effectus, & in quânam ex his aëris constitutionibus sanitati fovendæ magis conducat exercitium? Hoc perpendendum incumbit.



* Traité de
Météorologie,
pag. 479.

GRAVITATE & elasticitate corpus nostrum undiquè premit aër. Hæc pressio longè major est quàm vulgò creditur. Æqualis est ponderi columnæ mercurii cuius altitudo ad 28 pollices excurreret, basis verò superficiem corporis adæquaret; undè, inito calculo, pondus aëreæ molis suprà corpus staturæ mediæ æquat 31500 libras *. Pondere hoc immenso corpus obrueretur, nisi undiquè circumfusa premeret æqualitèr athmosphæra, & aëris in omnibus corporis partibus contenti nisu continuo æquilibraretur. Verùm non eadem est semper in subiecta corpora aëris pressio; insignis sæpè aërei ponderis diversis locis, diversisque temporibus observatur & ex mercurii altitudine in Barometro mensuratur varietas. Hæc perturbato aërem externum intèr & internum æquilibrio, illius diversâ in cutim actione, diversæ fiunt in fluidis alterationes, in solidis mutationes. His diversi generantur morbi, quondòque ii qui populares vel epidemici vocantur. Gravitatis & elasticitatis aëreæ varietas & actio desumuntur ex heterogeneis partibus quibus impregnatur athmosphæra, ex motu huius variato, sive ex ventis, ex calore, frigore, siccitate & humiditate. Hæ aëris qualitates, constitutiones fuerunt vocatæ. Aërem infici variis emanationibus pro locorum naturâ, pro corporibus mineralis, vegetalis aut animalis regi in illis latitantibus, quis ignorat? Hæ partes heterogeneæ aëre innatantes pro eorum diversâ indole benignos aut malignos effectus producant. Hinc Hippocrates aërem vitæ morborumque causam esse dixit. Nullibi aër magis foetus est partibus heterogeneis & noxiis, quàm in viciis aquarum stagnantium *, in locis humilibus, & ubicumquè nequit renovari.

* A tali causâ originem duxit morbus qui grassatus est in parochiam de *Stains*, anno 1778, & à paucis annis in parochiam *Argenteuil*.

A variis etiam ventis afferuntur partes heterogeneæ pro locis à quibus flant & quos peragunt. Sic venti septentrionales in regione nostrâ vulgò sunt frigidi, quippè è locis minùs calefactis spirantes congelatos vapores secum vehunt. Australis ventus vulgò calidus est, utpotè è regionibus calidis proveniens. Orientalis moderatè calidus est & siccus, quippè è locis antea sole fotis provenit, & peragrat terras ubi nulla ferè maria existunt. In genere est saluberrimus. Occidentalis tandem humidus est, & imbres largas secum afferre solet, exurgit enim ex Oceano.

Varii etiam motus fiunt in aëre quæ dicuntur *fluenta*, quibus heterogeneæ partes abripiuntur, ferunturque in loca in quibus præ eorum situ fluentorumque directione, hærent, & ibi producant morbos, salvis omnibus locis adiacentibus. Sic sæpè apparet morbus popularis in unâ parochiâ *, salvis parochiis circumjacentibus, licet incolarum idem sit laboris genus, vivendique norma.

* In exemplum veniunt parochia de *Fontenay sous Louvres*, anno 1773; parochia de *Vernars* anno 1775; parochia du *Tremblay* anno 1776 & annis 1785 & 1786, parochia dicta *des Vertus*.

I I I.

NEC tantum ex diverso gravitatis & elasticitatis aëris gradu, ex variis ventis, ex partium heterogenearum naturâ salubris est vel inialubris aër; sed etiam ex calore, frigore, siccitate, humiditate.

Nulla aëris temperies corpus vivens sensibilis afficit, quàm calor & frigus. Quidquid est infra actualem corporis calorem, frigidum; quidquid est suprà, calidum sentitur & nuncupatur. Calor aërem rarefacit, imminuit huius gravitatem, ergo pressionem. Hinc quâ proportionem calidus sit aër externus, eadem adaugetur interni vis elastica, rarefiunt humores, respirationis opus minùs ritè adimpletur, laboriosa fit hæc functio, difficiliorque sanguinis & humorum circuitus, undè lassitudines, debilitates quas experimur dum perdurant fervores æstivi. Insupèr calore patentiores fiunt cutis meatus, adaugetur insensibilis exhalatio, qui remanent humores viscosi fiunt, avolatâ eorum parte fluidiori, circulationique obeundæ minùs idonei. Si accedat humiditas, vis elastica aëris humoribus indigena

pressionem aëris externi minus adhuc æquilibratur. Humiditate relaxantur solida, debilius agunt in humores, hi lentescunt, congestiones efficiunt; intra partes illorum per vim aëris interni elasticam fit diductio, dissolutio, putrefactio. Hinc ista temperies quæ à Sydenhamo & aliis vocatur tepida, insalubris maximè & perniciofa jure ac merito ipsis videtur.

A frigore condensatur aër; major ergo est ipsius vis elastica & pressio in superficiem corporis. Qui fluidis est indigena magis comprimitur; undè magis compacti humores. Præterea frigore solidorum vis in fluida crescit, respirationis munus, auctâ aëris gravitate & elatere, facilius adimpletur, promovetur humorum circuitus, functionesque alacrius fiunt. Verùm si frigus sit nimis intensum, humores partim figit, partim ab ambitu retrò ad interiora urget agendo in cutim, cujus exquisitus est sensus, eamque spasmodicè constringendo, quæ avolare debebant effluvia retinentur, vel eorum pars tantum fluidissima abripitur, undè sanguinis & humorum acrimonia, spissitudo inflammatoria.

I V.

SICCITAS & humiditas sunt aëris temperies maximè sensibus obviæ. In genere constitutio sicca est omnium saluberrima. Aër enim minus à naturâ suâ recedit, quippè minori emanationum quantitate impregnatur, magis servat æquilibrium cum aëre in humoribus existente, ad respirationem magis est idoneus bronchia & veliculae amplius porrigendo ac distendendo, undè liber sanguinis circuitus, humorumque excretio & secretio. Si siccitas sit calidior, vias respirationis exsiccat, mobilia dissipat, residua crassa efficit. Si sit frigidior, fibræ totum adaugent, illius oscillationes frequentiores & fortiores efficit; contrahendo cutis poros transpirationis partem tantum fluidiorem elabi finit. Undè morbi inflammatorii.

Ex omnibus constitutionibus insaluberrima est humida. Quò magis pluviosus est aër, eò magis à statu perfecto recedit, eò minus potest æquilibrare aërem in humoribus contentum, respirationis officio favere, imminato illius gravitate & elatere, laxatisque tum pulmonum, tum corporis peripheriæ fibris; undè motu lentiori donantur humores, transpiratio minus ritè succedit, noxia accumulantur; motus intestinalis in sanguine & in humoribus ab aëris elatere in ipsis inclusi nascitur, quo ad dissolutionem scorbuticam, putredinemque tendunt. Hinc morbi a pituitosâ & glutinosâ collavie oriundi, ut vertigines, cachochymia, catarrhi pituitosi, oedemata, febres putridæ, scorbuticæ, scorbutus. Hinc tot morbi populares in parochiis quarum incolæ vitam degunt in ædiculis depressis, propè latrinas, fimeta cavædiis inclusa, putridum vaporem exhalantia; quæ ædícula præ fenestrarum angustis & sæpè defectu, aëreis fluentis nequeunt mundari. Si humiditati accedat calor; quæ paragrapho præcedenti à temperie tepidâ oriri retulimus, patrantur mala. Si frigus, particulae aqueæ meatibus perspirationis arctius solito applicantur, poros cutis & pulmonum arctant, & ocludunt, insensilis exhalationis exitum, perfectumque respirationis opus impediunt, undè plurima noxia retinentur in corpore, undè febres putridæ catarrhales, catarrhi, peripneumoniarum nothæ, rheumatici dolores, &c.* Nunc in quam ex his constitutionibus sanitati magis conducit exercitium?

V.

SANGUINEM & humores cordis & arteriarum actione moveri notum est. Verùm hæc actio sola si vitæ conservandæ sufficit, sanitati fovendæ imparem esse, nisi idoneum accedat exercitium, quotidiana probat experientia. Sic qui vitam in exercitio degere coguntur, graves, cachochymici fiunt, ipsique mox pedes & crura tument. Ab exercitio ritè instituto magna ad sanitatem

* Tales fuerunt morbi, qui generatim grassati fuerunt anno 1776.

exurgunt commoda ferèque universa constituitur Medicina. Musculorum motu sanguinis circuitus insensibilisque exhalatio non parùm promoventur, calor natus suscitatur, perficitur sanguificationis opus, pravorum succorum collectiones præcaventur. Exercitium sanguinis & humorum motum per vasa promovendo impedit ne quid nocituri miasmatis ab aëre in sanguinem irrepant, vel si quid jam commixtum est, feliciter nonnunquam expellit. Hinc quot morbos vario medicamentorum apparatu dudum & frustra tentatos, exercitio curatos fuisse observatio & experientia comprobant. Verùm quoquo modo & ubicumque fiat exercitium, in aëre semper & ubique nos ambiente fit, & ritè institutum ad sanitatem conducit; sed magis aut minùs pro diversâ aëris temperie.

In calidâ moderatè & siccâ, naturalis solidorum tonus & vis in fluida conservatur, undè sanguinis circuitus insensibilisque exhalatio, quibus tam necessarius est motus, ritè fiunt. Si calidior sit constitutio, rarefactis humoribus vasorum parietes distrahuntur, notha plethora molestant, difficilis per pulmonem sanguinis transitus, laboriosa respiratio, undè motus in hac constitutione moderatus conducit, at periculosus esset, si paulò intenderetur; quippè per exercitium paulò intensum accelerato sanguinis motu, eo pulmones obruerentur, undè suffocationis immineret periculum. In frigidâ moderatè & siccâ, respiratio fit facilè, auctâ aëris gravitate & elatere; solidorum vis crecit, undè validior circulatio, perfectior humorum elaboratio & secretio, minus ergo requiritur exercitium. At si frigus intenditur, solidorum vis in fluida major fit, cutis pori spasmodicè constringuntur, pars tantùm fluidior ab humoribus abripitur, unè timenda spissitudo inflammatoria. Igitur exercitium in illâ temperie cautè adhibendum. In humidâ solidorum tonus & actio, interpositis intrâ ipsorum poros partibus aqueis, minuitur, languet humorum circuitus, transpiratio & respiratio minùs ritè adimplentur. Quibus majori quantitate in istâ constitutione foetus est aër, emanationes faciliùs subeunt sanguinis oceanum. Si calida, magis timenda est, ut antè dictum fuit. Si frigida, partes aqueæ orificiis ductuum transpirationis arctiùs applicantur, illius exitum impediunt, undè plurima nascuntur mala, quæ paragrapho præcedenti retulimus. Verùm exercitium solida roborat, circulationis motum & transpirationem adauget. Quæ irreperunt intrâ fibrarum poros, aqueas partes, vel quæ sanguinis oceanum ingressæ sunt, miasmata, expellit. Solidis actionem, humoribus fluiditatem, appositamque elaborationem conciliat. Præcavet ergo humidæ constitutionis effectus emendat & extirpat exercitium. Nullus est humiditatis gradus, in quo feliciter ad sanitatem adhiberi possit, sed idem dici non potest in aliis constitutionibus, ut modò probavimus:

Ergo in nullâ aëris temperie sanitati fovendæ magis conducit exercitium, quàm in humidâ.

Proponbat Parisiis, JOANNES-BAPTISTA-CAROLUS ASSELIN, Abrincensis,
Docteur Medecin Cadomensis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor..

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1787.